



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Decisio CXVI. De Parocho ratione dubii sub conditione rebaptizato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

DECISIO CXVI.

De Parocho ratione dubij sub
conditione rebaptiza-
to.

SPECIES FACTI.

Philippus ruri natus, & ad Studia applicatus, suâ industria & probitate morum cō pervēnit, ut in presbyterum ordinatus post aliquot annos Beneficium parochiale adeptus sit, quod etiam per 6. annos, sicut cum om-

ni laude, ita magna animi tranquillitate administravit. Hanc tamen invisens fortē ad Philippum patruus vehementer turbavit, cū parochi, à quo baptizatus fuerat Philippus, vitia recenseret, ac inter alia adde-
ret, eum fuisse hominem bibulum,

N n ac

R. P. Pichler Decis. T. 2.)

ac potui adeò deditum, itaque sapius excessisse, ut temulentus, vel saltem temulento simillimus appareret, nec firmum ponere pedem, nec loqui distinctè potens, ac potius lalaret, truncatas proferens voces, quàm loqueretur, ut posset intelligi. Quod verò pessimum erat & maximi scandali, in tali statu vocatus ad ægros, vel ad baptizandos infantes, comparuit quidem, sed ita has functiones obiit, ut adstantes meritò dubitarent, an satis compos sit mentis, aut verba ritè pronuntiaret. Memini, aiebat, idem accidisse, cùm baptizaret Dominationem vestram. Percussus hac narratione Philippus vehementer angi, tristari, & ingentes in animo turbas sentire cœpit, rem tamen pro tunc, quantum potuit, suppressit. Paulò tamen post, mentis intemperie agitato, sollicitè institit indagare, an revera parochus ille, à quo Baptismum recepit, ante plurimos annos jam demortuus, huic vitio ebrietatis ita fuerit deditus, atque ipse ab eodem tam liberaliter poto, & fari vix valente, baptizatus sit, uti à patruo perceperat. Post sedulam inquisitionem ab alio quodam honesto & fide digno viro, idem attestante, intellexit hoc ipsum, & successivè iterum ab alio. Quapropter de valore sui Baptismi, consequenter & Ordinum suorum dubitare cœpit, & quia de sua & suorum salute erat admodum solli-

citus, petijt sub conditione rebaptizari, & reordinari occultè. Jam

Quæritur 1. An, supposito, quòd rectè fuerit rebaptizatus, necessariò Ordines iterum debuerit recipere? 2. An stipendia, quæ accepit pro Missis, restituere ijs, à quibus accepit? 3. An eos, quorum Confessiones excepit, monere, ut sua peccata, à quibus ipsos absolvit, iterum vel sibi post novam Ordinationem, vel alteri denovo confiteantur? Cùm hi actus à non legitime ordinato, qualis est non legitime baptizatus, omnino nulli fuisse videantur.

Ad quæstionem 1. forsân estimabis, necesse non fuisse, ut denovo ordinaretur Philippus; si enim necesse fuisset, tunc ideo, quia Baptismus tanquam janua in Ecclesiam est absolute necessarius ad hoc, ut alia Sacramenta, consequenter & Ordo, validè suscipiantur & administrantur: sed hoc est falsum. 1. quia Matrimonium (uti & Eucharistia) est Sacramentum, & tamè validè à non validè baptizato suscipitur & administratur. 2. quia Baptismus flammis, seu contritio, involvens desiderium Baptismi, sicut ad salutem sufficit, ita & ad ingrediendam Ecclesiam, consequenter ad obtinendam capacitatem passivam aliorum Sacramentorum, adeoque & Ordinis suscipiendi. 3. quia ad hoc, ut quis fiat membrum Christi, ac per consequens Ecclesie, sufficit Fides Christi.

Christi & Ecclesiae. c. 2. h. t. ergo. 4. Ecclesia in tali dubio, & casu necessitatis, supplet defectum Ordinationis novae, si forsan prior (quod sciri nequit) fuisset invalida. 5. vel certe supplet bonitas Dei, ne alias fierent multae consecrationes, & absolutiones à peccatis irritae cum gravi nocimento animarum: sicut magni viri apud Gregor. de Valentia 10. 4. d. 3. q. 5. puncto 3. & Dicastillo 17. 1. de Sacram. d. 3. n. 45. censuerunt, Deum pro sua benignitate supplere defectum intentionis in baptizante, ita ut Baptismus, qui sine debita Ministri intentione non valet, convalescat.

Sed tenendum est omnino, Philippum, casu quo ob rationabile dubium de valore Baptismi iudicavit, se teneri ad Baptismi reiterationem sub conditione, etiam obligatum fuisse ad Ordines de novo sub conditione suscipiendos, si in munere parochiali persistere, & actus Ordinum exercere voluit. Ita decisum videtur ab Innoc. III. in c. 3. h. t. ubi post rationes in contrarium allatas, nempe Ordines sine praevio Baptismo, saltem si creditur praecessisse, suscipi valide, subiungitur: *mandamus, quatenus ipsi (qui deprehenditur, vel certe, vel probabiliter, non fuisse baptizatus ante suam Ordinationem) per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promoveat, & permittas eum in Sacerdotium ministrare; quia non intelligitur*

iteratum, quod ambigitur esse factum. Dein in c. 1. eod. ex Concilio apud Compendium statuitur, ut, *si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Ratio est, quia Baptismus fluminis, seu in aqua collatus, est janua Ecclesiae, & aliorum Sacramentorum. c. 2. de Cognat. spirit. in 6. can. 59. & 60. caus. 1. q. 1. c. 3. de Baptis. Conc. Florent. in Decret. Ed. & Trident. s. 14. c. 2. de Penit. & fundamentum Sacramentorum. c. 2. x. h. t. sed, ubi fundamentum non est, superaedificari non potest. Ubi igitur valor Baptismi est dubius, dubius quoque fit valor Ordinum susceptorum: ergo, si propter hoc dubium reiterari sub conditione debet Baptismus, etiam debent sub conditione reiterari Ordines; cuius ulterior ratio est, eò quòd in re tanti momenti, ex qua pendet susceptio & administratio aliorum Sacramentorum tam valida quàm licita, ita ut, si forsan Ordines non validè fuissent suscepti, consecratio Eucharistiae, collatio extremæ Unionis, & absolutio à peccatis nulliter fieret à tali presbytero cum gravissimo animarum periculo, Sacramentorum frustratione, & aeternae salutis dispendio, debemus viam securam ingredi, scilicet Ordines de novo sub conditione suscipiendo: ergo talis presbyter, praesertim parochus, tenetur de novo suscipere Ordines sub conditione,

N 2

ut

ut actus Ordinum fiant moraliter certè validi, ac tam grave periculum sublatò dubiò declinetur; quæ obligatio non solum fundatur in pietatis & charitatis lege, sed etiam Justitiæ; cum utriusque tacitum inter parochum & parochianos pactum intercedat, ut is in consecratione Sacramentorum sequatur opiniones de valore tutiores, & suscipientibus non molestas & periculosas.

Ad contrarium argumentum *Neg. Min.* Ad probat. 1. facere oportet discrimen inter actus, qui essentialiter supponunt Ordinationem valide susceptam, & à Baptismo valido ex Divina institutione dependent, uti est consecratio Eucharistiæ, collatio extremæ unctionis, absolutiones Sacramentales à peccatis: atque inter actus, qui nec à Baptismo nec ab Ordinis valide suscepti caractere essentialiter & ex institutione Divina dependent, uti collatio Baptismi, distributio Eucharistiæ jam consecræ, & assistentia Matrimonialis: priores actus à Sacerdote non baptizato, & valide consequenter non ordinato, fiunt invalidè: posteriores autem validè; quia etiam Laicus validè baptizat, Eucharistiam distribuit, &, si communi errore habeatur pro paracho, assistit Matrimonio valide; qui verò non baptizatus suscipit Eucharistiam, solum materialiter ac sine fructu percipit, & qui non baptizatus contrahit Matrimonium, non conficit, nec suscipit Sacra-

mentum, sed præcise facit contractum merè civilem. Nec parochus est minister Sacramenti Matrimonii, sed ipsi contrahentes. Ad 2. Baptismus *flaminis* seu desiderii (sicut Baptismus Sanguinis, seu Martyrium) facit quidem Christi membrum quoad internam conjunctionem cum Christo per gratiam, & sic remittit peccata actualia imò & originale, adeoque sufficit ad salutem. *c. 3. l. t. cit. §. porro.* non verò quoad conjunctionem externam per signum sensibile à Christo institutum, quod signum est Baptismus à Christo ordinatus ad hoc, ut quis fiat membrum Ecclesiæ & Corporis Christi, ab infidelibus distinctum, & particeps Sacramentorum atque communium Ecclesiæ bonorum. Ad 3. *dist. Antec.* ut fiat membrum Christi per conjunctionem, adhesionem, & gratiam internam, si fides charitate sit formata. *C. Ant.* per conjunctionem & adhesionem externam, bonorum Ecclesiæ communium & Sacramentorum communicativam. *N. Ant. & Conf. Pontifex in d. c. 2.* non est amplexus, sed neglexit illam rationem dubitandi. Ad 4. In potestate Ecclesiæ, ut etiam ex *Trid. s. 21. c. 2. de sac. Euch.* colligitur, non est ea suppletiva, quæ ad valorem Sacramentorum aliorum ex institutione Divina requiruntur, uti Baptismus validus ad susceptionem, & Ordo validus ad administrationem vel consecratio-

nem Sacramentorum, excepto
Baptismo, distributione Eucharis-
tiz, & assistentia Matrimoniali,
requiruntur. Ad 5. Si id dixe-
runt magni viri, errasse censendi
sunt propter apertissima Christi
verba Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex
aqua (Baptismo fluminis) non potest
introire in Regnum DEI, scilicet nec in
Ecclesiam, quæ in Scripturis vocari
solet Regnum DEI, neque in reg-
num Cælorum, nisi nempe ob ig-
norantiam vel impossibilitatem ex-
cusetur ab observatione actuali hu-
ius præcepti, & in voto susceperit
Baptismum fluminis per Contritio-
nem, vel per Charitatem perfectam,
aut Martyrium. Unde & S. Au-
gustinus l. 3. de anima contra Vincen-
tium c. 9. scribit: noli credere, noli do-
cere infantes, antequam baptizentur,
nisi prævenerit, pervenire posse ad ori-
ginalium indulgentiam peccatorum. Et
c. 28. ad Hieronymum asseverat: quis-
quis dixerit, quod in Christo vivificabuntur
parvuli, qui sine Sacramento ejus partici-
patione de vita exeunt, hic profecto & con-
tra Apostolicam prædicationem venit, &
etiam condemnat Ecclesiam. Ergo abs-
que fundamento, contra Scripturam,
Apostolorum, Ecclesie, & SS. Pa-
trum doctrinam dicitur, Christum
vel Deum ex benignitate supplere
defectum Baptismi. Quapropter
Hostiensis quoque excessit,
quando in Summa lib. 2. de Presbyt.
non baptiz. n. 2. scripsit: certum est,
quid, quantum ad populum, & se ipsum
quoad ea, quæ facit, antequam deprehen-

derat, se non baptizatum, perinde est,
ac si baptizatus esset propter fidem sacra-
menti. Quidquid igitur aliqui ex
Antiquis hac in re dixerint, non
sunt curandi, & hodie pro Adver-
sarijs habent omnes Theologos.
Neque recipitur, quod apud Sylv.
V. Baptismus c. n. 3. docuisse dicitur
S. Thomas, nimirum pie credi
posse, summum Sacerdotem Chri-
stum supplere defectum quoad ulti-
mos effectus Sacramentorum, nec
diu permittere, ut defectus iste oc-
cultus maneat, ne inde damnum
grave immineat Ecclesie; quia hæc
pia credulitas nec in SS. Paginis nec
in SS. Canonibus reperitur satis
fundata. Sotus in 4. dist. 24. q. 1. a.
4. §. tertium.

Ad quæstionem 2. sine am-
biguis & negativè contra Laur.
Portel Responsion. to. 1. p. 1. casu 28.
nam in dubio, in quo hic versamur,
non est asserenda obligatio resti-
tuendi; cum melior sit conditio
possidentis sua bona bonâ fide ac-
cepta, suamque libertatem. per
c. 65. de R. J. in 6.

Ad quæstionem 3. Quamvis
per se esset obligatio procurandi, ut
ij, quos absolvit à mortalibus post-
modum certus de nullitate sui Bap-
tismi & Ordinationis, eadem pecca-
ta vel sibi vel alteri rursus confi-
teantur; si tamen de nullitate non
sit certus talis Confessarius, sed du-
bius tantum, uti in nostro casu, non
datur obligatio procurandi, faltem

N n 3

fi

si sine gravi incommodo ferine-
queat, partim quia homines peræ-
grè ferunt, quando refricatur me-
moria peccatorum confessioni jam
subjectorum, & quidem bona fide,
partim quia Confessarius hujusmo-
di de quolibet eorum, quos absolvit,
merito cogitare potest, quòd alteri
Confessario alia peccata vel jam in-
terea confessus, vel postea adhuc
confessurus sit, cum quibus etiam ab
illis peccatis, quæ Confessario dubio

confessus est, simul indirectè absolu-
tus est, vel absolvetur, ut ad eò in
dubio absolutionis validæ non appa-
reat sufficiens causa & necessitas
monendi pœnitentes absolutos cum
horum & suo tam gravi incom-
modo, ut confessiones
repetant.

—*—*—



TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrysmatis,
& aliorum Sacramen-
torum.

DECISIO CXVII.

De asservatione Sacramenti Eucharistiæ à Sectarario impu-
gnata.

Spr